

28. Et attendendum, quoniam, sicut^a beatus^a Petrus^a completum esse dicit¹ in Iuda, quod ante fuerat per prophetam praedictum a spiritu sancto, et de sacrorum canonum constitutione eodem spiritu promulgata sanctus Gelasius in commonitorio Fausto magistro militum Constantinopolim fungenti officio legationis delegato, ostendens rationabiliter a Felice papa Acacium Constantinopolitanum episcopum fuisse damnatum, ita dicit²: Decessorem, inquit, meum executorem fuisse veteris constituti, non novae constitutionis auctorem. Quod non solum præsuli apostolico facere licet, sed et cuicumque pontifici. Et item in epistola ad universos episcopos per Dardaniam constitutos³: Patres, inquit, nostri, catholici videlicet doctique pontifices, quolibet tempore quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum scripturarum tramitem praedicationem[que]^b *maiorum^c facta semel con-^{*f. 81.}gregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare nec in hac eadem causa denuo quae praefixa fuerant retractari qualibet recenti praesumptione permiserunt, sapientissime pervidentes, quoniam, si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret ecclesiae constitutum ac semper isdem furoribus recidivis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus etiam praefixis positarum semel synodaliū regularum non cessant elisae pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere et simplicia quaeque corda percutere^d, quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire concilium? Cum quaelibet illa manifesta sit veritas, numquam desit quod pernitiōsa depromat falsitas, etsi ratione vel auctoritate deficiens^e, sola tamen intentione non cedens. Quae maiores nostri divina inspiratione cernentes necessario praecaverunt, ut, quod acta semel synodus pro fidei communione et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sineret post haec *novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio^{*f. 81'.} praeberetur quae medicinaliter fuerant statuta pulsandi, sed auctore cuiuslibet insaniae ac pariter errore dampnato sufficere iudicarunt^f, ut quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali

^a) *Großenteils auf Ras.* ^b) *Zeilenende; nur vom q noch ein Teil erkennbar.* ^c) *Hier beginnt wieder die erste Hand.* ^d) *Durch Ras. korr. aus percuttere.* ^e) *-fici- sehr verbläßt.* ^f) *Durch Ras. korr. aus iudicaverunt.*

¹) *Vgl. Act. 1, 15. 16.* ²) *HINSCHIUS S. 637 f. (J-K. 622).* ³) *Corp. script. eccles. latin. Vindob. 35, 775 f. (coll. Arelkana); HINSCHIUS S. 642 (J-K. 664).*